



445

G

87



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 87



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 87



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 87



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 87

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

DE

CODICILLIS.

Q V A M
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris
D. FRIDERICI SPANHEMII, F. Fil. SS. Th.
Doctoris, Eiusdemque Facultatis in Illustri Academia Lugd.
Bat. ut & Antiquitatis Ecclesiasticæ Profess. Primarii,
Ecclesiasticæ disertissimi, Acad. Bibliothecarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitime consequendis,

Eruditorum examini subjicit

RIPPERTUS VANDE VELDE, Lugd.-Bat.
Ad diem 30 Ianuar. horâ locòque solitis.



Koninklijke
Bibliotheek
te Leiden

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. MDCXCIII.

Amplissimo, Gravissimo, Spectatissimoque VIRO,
D. NICOLAO VANDE VELDE, Lugduni in Batavis Viro
Consulari, & in Consilio supremo Societatis Indiae Ori-
entalis, quod Amstelodami est, Assessori, Parenti suo optimo
& indulgentissimo.

U T E T

Clarissimis, Consultissimis, ac Doctissimis VIRIS,
D. JOHANNI à GROENENDYCK, J. U. D. Illustribus
Reip. Lugdunensis Magistratibus à Secretis, Avunculo suo ho-
noratissimo.

D. PETRO à GROENENDYCK, J. U. D. eidem Rei-
pub. Leidensi à Secretis, Avunculo suo reverendo.

JOSIÆ VANDE CAPELLE, pro patria Concione Interpreti
Divinae legis Disertissimo, Patruo suo Venerando.

D. FRANCISCO VERBOLT, J. U. D. Reip. Neomagen-
sis Consuli Dignissimo, & ad Consessum Illustrissimorum ac
Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Delegato, Avun-
culo suo Splendidissimo.

NEC NON

Clarissimis Studiorum atque ingenii elegantia Eximiiis VIRIS,
D. ANTONIO MATTHÆO, J. U. D. ejusdemque Facul-
tatis in Illustri Lugd. Batav. Academ. Antecessori ordina-
rio, omni honore prosequendo.

D. JOHANNI VOET, J. U. D. ejusdemque Facultatis in ur-
be Lugdunensi Antecessori ordinario, Juris Theoretici & Pra-
ctici Professori, Promotori Gravissimo, ob innumera in me
collata beneficia honorando.

D. JACOBO GRONOVIO, in inclyta hac Academia cum
linguae Graecae, tum Historiarum atque eloquentiae Profes-
sori ordinario.

D. LUCÆ VAN RYP, Med. Doct. Gymnasi Lugdunensis
Moderatori industrio, Præceptori suo Prudentissimo.

Hanc Inauguralem Disputationem

D. D.

RIPPERTUS VANDE VELDE.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

DE

CODICILLIS.

THESIS I.



uoniam definitio in omni re & materia exponenda potissimum attendenda est; & omnis, quæ à ratione suscipitur de re institutio, à definitione debet proficisci, ut docet Cicer *Lib. offic. primo*: ideo primo videbimus de ipso codicilli vocabulo ejusque definitione: quia teste Ulpiano, è re est, de his initio admonere, *l. 1. ff. de reb. cred.* Et Socratis erat

A 2

di-

dictum: Principium eruditionis esse intelligentiam vocabulorum: de quo refert Xenophon, eum inchoare consuevisse disputationes suas à definitione vocabulorum, ut intelligeretur, quid quæque sibi vellent & significarent.

Codicillus originem trahit à Codice. Codex proprie liber; inde sic dictus, quia veteres scribebant in tabulis è caudice sive codice factis. Hæ tabulæ cera inducebantur; quibus stylo vel ferreo vel osseo inscribebant; ab una parte acuto ad scribendum; ab altera curvo & obtuso ad delendum: quo pertinet illud Prudentii:

Inde alii stimulos, & acumina ferrea vibrant,

Qua parte aratis cera sulcis scribitur:

Et qua secti apices abolentur, & aquoris hirti

Rursus nitescens invenitur area.

Et quoniam stylo utebantur ab una parte ad delendum, scribentes debebant eum vertere: Unde dixit Horatius: stylum vertere. Quasi diceret, sæpe scripta deleas, expungasque necesse est. Late ac docte hac de re Eruditissimus Gerardus Vossius *de arte Grammatic. Lib. 1. Cap. 35.* adde & Plinium *Lib. 8. Epist. 9.*

I I.

A Codice igitur eodicilli dicti, ut jam diximus. Codices sunt majores tabulæ. eodicilli vero minores.

Co-

Codicillorum vocabulum est generale, omnem omnino scripturam continens; unde diplomata, & epistolæ ab amico ad amicum scriptæ: ut est apud Tullium in epistolis: Epistolam, ait, hanc efflagitarunt codicilli tui: adeo ut codicilli vix ab epistolis differant: licet nonnulli contrarium sentiant. Codicilli namque nihil aliud sunt, quam brevis quædam epistola: quemadmodum apud Ciceronem est. Si est aliquod discrimen; erit illud: sc. in forma scribendi; siquidem si quis quid reliquit inter præsentem, simpliciter codicillatur; si vero inter absentes erit in forma epistolæ, l. epistolarum ff. ad SC. Trebellianum. Verè igitur nullum est discrimen inter epistolam & codicillos: nam in epistola fideicommissum relinqui potest: & si fides epistolæ constet, quæ in ea scripta sunt, debentur l. fin. ff. de legat. 2. Requiritur tamen, ut quinque testes adfuerint; alioqui nullius momenti erit: quia in omni voluntate, excepto testamento, quinque testes necessarii sunt. l. ult. C. de codicill. Sequitur ergo, istiusmodi epistolam ut speciem ultimæ voluntatis considerari, l. miles ff. de legat. 2. In eo tamen quoddam discrimen reperitur: quod sc. codicilli sine scriptura fieri possunt; non vero epistola, l. fin. C. de codicill. Quod effectum & rem, ut jam diximus, attinet; inter codicillos & epistolam nulla omnino differentia; quia conjecturæ legatorum & fideicommissorum æque in codicillis ac in testamento locum sibi vindicant. In jure tamen Codicilli sunt parva quasi testamenta, in quibus testatores id scribebant, quod in testamento difficilebat: quæ de re Fornerius. Vel codicilli sunt testamenta minus solemnia, quæ quis potest facere cum justum testamentum non potest, quibus de rebus suis disponit, quod post mortem suam fieri velit,

ideo minus solemnia dicuntur, quia tot & tales testes, aliaque non exigunt, qualia solenne testamentum. *S. fin. Inst. de codicill.* Nam licet & codicem pro testamento uirpari, patet ex *S. sed & unum. Inst. de testament.* Quia tamen fere semper testamentum scribatur in tabulis, ut & ferè res feræ, & quæ magni ponderis momentique essent, ut de earum fide diu semperque posset constare: inde facile conijcere est obtinuisse, ut tabulæ plerumque pro ipso testamento sumerentur, quemadmodum id satis abundeque patet & *tit. ff. & Cod. de bonorum possession.* secundum & contra tabulas.

Hæ tabulæ erant ex ligno confectæ, ceraque illitæ: unde dicebantur illi, qui erant scripti in ultima parte testamenti, in ima cera: qui vero in prima parte, in primâ cera: quemadmodum id ex *Suet.* licet colligere. Hinc & simul apparet, has tabulas non potuisse commode sacco includi; quæ etiam forte causa fuit, ut duntaxat tabulas adhiberent ad testamenta: ad rationes domesticas, & ad alia in ædibus regulariter asservari solita: contra vero membrana ad epistolas huc illucve scribendas ac mittendas: & codillos ab iter facientibus & peregrinantibus, quæ etiam causa fuit quamobrem fuerunt introducti ac recepti: licet in codicillis etiam testamenta, & contra in tabulis codillos fuerit permissum facere; cum tamen utriusque coniectum ex verbis & præsumta testatoris voluntate tueretur. Hinc *Consultus in l. i. ff. de bonorum poss. secund. tabul.* ait: Tabulas testamenti accipere debemus omnem materiæ figuram; siue igitur sint tabulæ lignæ, siue cujuscunque alterius

rius

rius materiæ; five chartæ, five membranæ, five eorum animalis, tabulæ rectè dicuntur.

III.

Quod codicillos attinet, constat jure veteri eos non in usu fuisse. Luc. vero Lentulus, ex cujus persona etiam fideicommissa coeperunt, codicillorum introducendorum causam dedit: Ille cum D. Augustum hæredem instituisset in Africa, simulque suam filiam: quæ rogaret, ut quid post mortem facerent. Cum vero Augustus voluntatem ejus implessæt, & filia ipsius legata quæ alias stricto jure civili solvere non deberet, solvissæt; codicilli ex eo tempore sunt recepti; *pr. 1. de codicil.* Causa quare codicilli admitterentur, fuerunt magna veterum peregrinationes: ubi si quis testamentum facere non posset, tamen codicillos posset: quia in longinquis regionibus copia septem testium civium Romanorum haberi non poterat: qui in codicillis non sunt necessarii. §. *fin. 1. de codicil.*

Approbati igitur codicilli ab Augusto; adhibito tamen jure consultorum plurimorum consilio; idque ad exemplum veterum; qui semper siquid magni momenti incideret, vel quid dubii superesset solebant convocare sapientes, cum quibus de rebus consultabant. Cujacius *lib. 2. observ. cap. 26.* Jacob. Gutherius *de offic. Divus August. lib. 1. cap. 11. & lib. 2. cap. 4.* Cassiodorus *lib. 6. var. ep. 5.* Terentius *ad Suet. in Tiberio cap. 33.* Julius Capitolinus in Antonino Pio. Lampridius in Alexandro Severo: *Negotia & causas prius*

prius à seniorum principibus, & doctissimis juris peritis & sibi fidelibus, quorum primus tunc Ulpianus fuit, tractari ordinarique atque ita referri ad se præcepit. Leges de jure populi & fisci moderatas & infinitas sanxit: neque ullam constitutionem sacravit sine 20. juris peritis, & doctissimis ac sapientibus viris iisdemque disertissimis non minus quinquaginta: ut non minus in concilio essent sententiæ quam Senatusconsultum conficerent: & id quidem ita, ut iretur per sententias singulorum, ac scriberetur quid quisque dixisset, dato tamen spatio ad disquirendum cogitandum priusquam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus. Hug. Grotius *de jure belli ac pac. lib. 2. cap. 23. §. 4. num. 1.* Briffonius *lib. 1. artiq. Rom. cap. 12.*

I V.

Codicilli fieri possunt tam ab intestato quam facto testamento: unde codicilli recte dicuntur voluntas testati vel intestati minus solemnis. Ultimam sive supremam defuncti voluntatem esse, apparet ex *l. fin. C. de codicil.* Dicuntur codicilli imperfecta voluntas; quia tot solemnitates non requirunt, quod testamenta, *§. fin. de codicil. l. 6. §. 1. 2. ff. de jure codicillorum.* Unde facile videre est; eos maxime à testamento differre: quæ ultima voluntas plena & solemnis describitur, de eo quod quis post mortem fieri velit.

V. Te-

Testamenta ut jam diximus, magnas variasque solemnitates requirunt; contra codicilli nullam: quod tamen non intelligendum, nihil omnino solemnitatis ad codicillos desiderari: sed ita; sc. respectu habito ad testamenta; in quibus septem testium numerus; aliaque solemnities in iis necessaria: cum contra in codicillis quinque testes sufficiant. Nec interest, utrum illi testes sint specialiter rogati; an vero casu fortuito aliunde venerint: & quod magis est, non refert, utrum illi testes sint mulieres, an vero masculi: *l. fin. §. ult. C. de codicill.* Contrarium tenent alii; qui asserunt solas fœminas sine masculis non posse in testimonium admitti: cujus contrarium tamen verius. *D. l. fin.* Doctissimus Zoësius *ad tit. ff. de jure codicill.* Opinatur, omnino mulieres non posse esse testes in codicillis quod & alii sequuntur: quia, uti dicunt codicilli sunt appendices & supplementum testamentorum; quod proinde à regulis testamentorum, quatenus non sunt remissæ, non debeat in iis recedi. Id quidem speciem quandam præ se ferre videtur: à qua tamen veritas plane abhorret: præcipue cum nulla lex exstet, quæ de codicillis loquitur: & juris tritum dictum sit: Erubescimus sine lege loqui *Nov. 18.* Eodem confert, quod codicilli à testamentis maxime differant; à quibus nulla fit illatio. Nicol. Everhardus *in locis legal. loc. à separatis.*

V I.

Codicilli alii relinquuntur facto testamento, alii ab intestato. *l. 16. ff. de jure codicillorum.* Qui relinquuntur testamento condito aut confirmati sunt testamento, aut non *l. 5. ff. eodem.* Hæc confirmatio fit duplici modo: vel in præteritum, vel in futurum. *l. 8. ff. eod.* In futurum: ut si dico: si codicillos unquam relinquam, eos vires habere jubeo. In præteritum: ut si dico: quos olim feci codicillos, effectum sortiri volo.

Codicillis testamento facto relictis, tam legata quam fideicommissa relinqui possunt: Codicillis ab intestato relictis tantum fideicommissum, *l. 8. §. 5. ff. de jure codicill.* Itaque codicilli fiunt, ut diximus cum vel sine testamento. Qui cum testamento fiunt; vel ante vel post illud rectè possunt confici. *l. 8. §. 3. ff. eodem.* Jure veteri, si codicilli testamentum præcederent; non aliter vires habebant; nisi speciali voluntate in testamento vel codicillis facti confirmati essent. *l. 5. ff. eod.* Postea vero constitutione D. Severi & Antonini cautum est; ut codicilli facti ante testamentum possent tacite confirmari: sc. cum illum qui testamentum fecisset, appareret à codicillis non recessisse *§. 1. l. eod.* Codicilli, qui cum testamento facti sunt, pars & sequela ipsius testamenti censentur esse, illiusque jus sequuntur. *l. 16. in fin. ff. eod.* Qui vero sine testamento facti sunt; ex se ipsis vires capiunt, ut testamentum; cujus vicem eo casu sustinent.

VII. Te-

Testamento sine codicillis ordinato, clausula codicillaris potest inseri: ut si quis dicat: si meum testamentum non valet ut testamentum; valeat ut codicillus *l. fin. §. i. C. de codicill.* vel ita: Num testamentum valere jubeo quocunque modo poterit, *l. 29. ff. qui testament. fac. poss. vel non.* Item hoc modo: Jubeo meam ultimam voluntatem effectum plenissimum fortiri, omnibus etiam solemnibus remotis.

At quæritur, si clausula codicillaris non sit expressa, an debeat intelligi ex conjectura voluntatis? Ad quod dicimus; si ea non fuerit testamento inserta, non posse tacite subintelligi *l. ult. §. illud. C. de codicill.* Cujus rei, ea reddi poterit ratio; quia ignoramus testatoris voluntatem: & si voluisset eam apponere, fecisset hoc vel illo modo. Sciendum tamen est, quod licet clausula codicillaris non debeat intelligi, si non sit specialiter inserta; tamen in certis quibusdam casibus clausula hæc subauditur & pro expressa habetur. Primus casus est in causa pia, cujus favore introductum, ut valeat testamentum etiam jure codicillorum, etiam si id disertè non sit expressum. Secundus casus est, in testamento militis *l. 2. ff. de testamento milit.* Tertius casus est, si libertas in testamento relicta: quo casu etiam clausula codicillaris tacite subintelligitur; idque favore libertatis, cujus intuitu multa à legumlatoribus sunt introducta. *l. si jure C. de testament. manum.*

V I I I.

Restat videamus quomodo hereditas in codicillis recte relinquatur, nam hereditas codicillis nec dari, nec adimi potest; sed per fideicommissum recte relinquitur §. 2. *l. de codicill.* Ratio est, ne confundatur jus testamentorum & codicillorum *D. §. 2.* Sequitur neque substitutionem in iis scribi; neque & hæredationem scribi posse.

Hæc conclusio, qua dicitur hereditatem non posse directo adimi; obtinet non tantum inter extraneos, sed etiam inter liberos; & quidem in tantum id observatur, ut nec Pater directis verbis illis relinquere quid possit. *l. 76. ff. ad SC. Trebellia.*

Excipiuntur milites, quibus cum multa ac varia contra testamentorum ordinationem sunt concessa; etiam inter ea & hoc ipsis indubium, ut in codicillis directo possint heredem instituere *l. 36. ff. militari testam.* Ratio est, quia arma magis quam leges norunt; & ob pericula, quibus continuo sunt expositi. *Pr. l. de militari testamento.*

I X.

Facere possunt codicillos, qui testamenta facere possunt. *l. 8. §. 2. ff. de jure codicill.* Et quo tempore non licet facere testamentum; eodem non licet etiam facere

l. 3. C. eod. Et generaliter in fideicommissis & legatis novissima voluntas semper spectatur l. 87. ff. de condition. & demonstrationib. l. 19. C. de fideicommiss.

Rumpuntur denique codicilli testamento ipso infirmato, si cum testamento, vel ante vel post, facti sunt: quia vires ex testamento capiunt: quo infirmato, ut principali, etiam codicillum ut partem & accessorium, tolli necesse est. *l. 1. C. eod. l. pen. ff. quemad. testament. aperiunt.* Longe tamen aliter res sese habet, si testamentum ante codicillos factum, ac deinde rumpatur, & tum demum codicilli fiunt: quo casu non rumpuntur codicilli, licet testamentum infirmetur, quia tunc ex testamento nunquam vires habuerunt, nec ab eo pendere, ut accessorium, dici possunt. Quo casu illud axioma: sublato principali, tollitur accessorium, perdere suum officium necesse est.

F I N I S.



Ad

Elegantem Ornatumque

JUVENEM,

RIPPERTUM VANDE VELDE,

Cum in Gravissimum J. U. Docto-
rum Ordinem adscribatur.

E mensus Juris spatium, RIPPERTE, sacrați,
Eximiis poteris Jure placere Viris.
Ingredere ô Campum, Tibi quem quæsit Honoris
Indole Præclarus Candidiore Parens.
Cum subit Illius placidissima Marris imago
GROENDIKIÆ, Vates prospera canto Tibi.
Lætantem VIRID! circumdedit AGGERE CAMPUM,
Agger & in Patrio Lætior Ore fuit.
Ubere sub Gleba, Cœlo mollique Repertus,
Natalis referes, Ingeniose, Soli
Ingenium. Virtus stimulos Antiqua parabit.
Et Tua Leidensis Semina Rhenus alet.

LUCAS VAN RYP.

